De majorum membrorum amputatione, in Julii nosocomio per decem annos amputatorum ratione facta.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

quam

ex auctoritate et consensu gratiosi medicorum ordinis

in

universitate literarum Herbipolensi

edidit

Dr. Mauritius Margulies,

Lembergensis.

Wirceburgi,

ex officina viduae C. G. BECKER, universitatis typographi.

1839.

et

Illustrissimo proeceptori suo,

V i r o c l a r i s s i m o

Cajetano Textor,

philos. med. et chirurgiae doctori, Augustiss. regi Bavariae a consiliis aulicis, professori chirurgiae clinicique chirurgici publico ordinario in academia Herbipolensi, chirurgo nosocomii Juliani ibidem primario, ordinis aquil. rubrae III. Classis borussiae, nec non leonis aurei Hassiae elect. equiti, societat. multar. literar. sodali

omni qua potest reverentia tribuit

AUCTOR.

Praefatio.

Nostris temporibus amputationis frequentiam valde diminutam esse, neminem, qui historiam chirurgiae perlustraverit, fugiet. Nequaquam vero sperandum est, fore, ut amputationem omnino omittere possimus, quamvis medicina et resectio, quae ad salutem generis humani tam frequenter exercetur nostris temporibus, saepissime et merito amputatoris cultrum ab aegroto inhibet.

Quam ob rem hoc thema, a maxime venerando praeceptore, illustrissimo viro Textor mihi propositum, maxima cum voluptate accepi, quippe qui insigni humanitate et benevolentia amputatorum historias nondum publicatas mihi tradidit, quod gratissimo animo hic commemorare posse delector. Priusquam huic praefationi finem facio, lectorem, ut benevolus sit censor, rogo atque oro.

Verum hic quoque nihil interest, an satis tutum praesidium sit, quod unicum est.

CELSUS.

Amputationem eam appellamus operationem, qua ars tota membra aut eorum partes in continuitate aut contiguitate separat atque auffert; ad hanc operationem perficiendam primum telae molles, deinde durae partes in contiguitate aut continuitate separandae, postea haemorrhagia sedanda, atque postremo vulnus reuniendum, quae momenta acta dicuntur operationis.

Ea membra aegrota indicant hanc operationem, quae aut periculum minantur vitae, aut ejus amoenitatem turbant, nec medicamentis sunt sananda. Ejusmodi morbi aut duras partes aut molles aut illas simulque has tenere possunt, quorum frequentissimi sunt:

a) Suppurationes aut ulcerationes mollium aut durarum partium, periculo consumtionis imminente, seu ex causa traumatica, seu ex dyscrasia exortae.

b) Haemorrhagia ex laesa arteria aut vena, remediis antihaemorrhagicis vulgaribus invia.

c) Ictus ex aëris percussione, qua ita membrum affectum est, ut, dum sunt in continuitate telae externae integrae, vasa in profundo rupta nervique resoluti sint.

d) Tumor albus genu; arthropyosis neglecta; arthrocace; atheromata lata et vulnera articularia gangraenam minantia.

e) Fungus haematodes et medullaris telarum mollium.

f) Gangraena partialis. Ad hoc usque tempus sub judice lis erat in Germania, num indicet gangraena amputationem, an contraindicet.

Professor meus, semper memoriae praesens, vir clarissimus Rust et in praelectionibus clinicis et scriptis suis sententiam deffendit, gangraenam, unicam apud veteres amputationis indicationem, hanc contraindicare; ad quam opinionem confirmandam affert, gangraenam incipientem, magnae imo in latum et profundum extensionis

speciem prae se ferentem, vasorum et partium finitimarum vi et auxilio praeter omnem exspectationem sanari posse. Etiam non dici posse, quousque in profundo gangraena processerit, et num in sana parte fiat operatio. In gangraena circumfinita amputationem esse supervacuam, cum natura ipsa mortuum a vivo separet. Ex membris gangraenosis haemorrhagiam quidem provenire posse, quae amputationem exposcat: tum vero non gangraena, sed haemorrhagia operationem indicari. Item in gangraena circumfinita superficiem relictam saepissime haud bene ad sanationem esse conformatam, ita ut non gangraena, sed ab ea ipsa liberata pars amputationem petat. — Mihi contentio, nunquam indicari gangraena amputationem, in eam gangraenam reducenda esse videtur, quae ex causa interna orta est, sicut gangraena senilis ex arteriarum ossificatione. Gangraena vero incipiens fissis ossisbus aut aliis causis externis effecta amputationem exposcit. Nam hic raro accidit, ut gangraena in profundo ultra progrediatur, quam in superficie; et causa mali relicta gangraenam ulterius circumferret.

g) Os extremitatis ita fissum vi externa, ut operatione sola gangraenae, trismo et tetano praeveniri possit.

h) Caries et jam finita necrosis amputationis indicationem praebere possunt, sicut etiam alii ossium morbi, e. g. osteosteatoma, osteosarcoma.

i) Corpus alienum instrusum in articulationem.

k) Luxationes veteratae.

Sed non solum in his casibus amputationem absolute indicantibus, sed etiam ubi per se sanari possunt laesiones, amputatio relative indicata esse potest, ut, si

l) patiens rebus adversis curam diuturnam non subire potest, quod fieri solet in proeliis: et denique

m) si membrum sanatum patienti minus praeberet utilitatis, quam arte factum.

Ex indicantibus contraindicantia facile apparent.

In capiendo tempore, qno amputatio sit perficienda, aut in quod sit differenda, discernit mali localis reactio in totum organismum. Ubi malum modo locale nondum reflectitur in organismum, quod in laesionibus partialibus horis primis duodecim ad horam vigesimam quartam fieri solet; ibi tempus operationi opportunum non differatur. Si vero medicus eo tempore ad aegrotum venit, qno jam universa organismi reactio adest, priusquam operationem suscipiat, idonea ad sedanda symptomata remedia adhibenda sunt.

Difficillimum est discrimen in malis chronicis; saepissime adest febris et colliquatio, morbi aliorum organorum: intestinorum, pulmonum, vitam consumentes, et tanta videtur aegroti imbecillitas, ut medicus credere possit, operationis impetu vitam adhuc restantem perire. Etsi libenter tempus patienti concedentes recreationis procrastinaremus, causa tamen, febris hectica, manet, aegrotoque imminet mors; quare sequitur monitum: periculum in mora, in discrimine spes.

Saepe contingit, ut homines reactionis annuis malis debilitatae impetum chirurgi bene ferant: animo quieto concupiscunt, ut liberentur membro diu molesto vitaeque amoenitati infesto. — Quantopere ista animi tranquillitas operationis eventui faveat, practici quotidie experiuntur, et certo mali operationis eventus post subitam vulnerationem saepissime est causa tristitia ex inopinata mutilatione.

In constituendo operationis faciendae loco

a) respicienda est Celsi sententia: „potius ex sana parte aliquid excidatur, quam ex aegra relinquatur;

b) cogitandum, operationem, quo magis organismi centro propinqua sit, eo magis ambiguam;

c) commodus partis post operationem relictae usus nequaquam negligendus.

Quae duo posteriora momenta si cogitassent adversarii exarticulationis, intellexissent certo virtutem

ejus methodi primariam, nec eam tam immeditate condemnassent, imprimis minime validis contra exarticulationem causis. Galenus, Pareus et Hildanus exercebant et deffendebant exarticulationem: Heliodorus adversarius temporis sui medicos sibi captavit: nostris tandem temporibus Brasdor et Larrey eam deffendentes et in Germania Tetxor, Rust, de Walther, Langenbeck; in Anglia B. Bell, Guthrie et S. Cooper; in Italia G. Flajani et Vanoni eam prospero eventu exercentes contradicta refutavere. Larrey et de Walther argumentarunt, vulnera post exarticulationem brevi cicatricem ducere, quod etiam reverendissimus meus praeceptor Textor in frequenti praxi expertus est.

Quae adversarii dicunt de periculo vulnerum articulorum, per se quidem vera, comparata autem cum exarticulatione absurda, quia tollit articulationem, removet ligamenta, bursamque delet synovialem.

Qui deffendunt exarticulationem, inflammationem tunicae ossium internae seu Blumenbachiae post amputationem orientem respicientes contendunt, exarticulatione saepe majorem truncum conservari et operationem non in eadem centri propinquitate fieri.

Si igitur tanta exarticulationis prae amputatione sunt commoda: optandum est, ut in praxi magis illa exerceatur, quam hucusque.

Inter ea, quae pertinent ad praeparationem operationis, primum est, ut patientis animus sit quietus, neque eo invito operatio suscipienda est. Quo majore quiete meditatur necessitatem, eo major in operatione constantia, eo melior resignatio. Consuetudo opii antea aegroto praebendi obsoleta.

Positio patientis in amputatione extremitatum superiorum sive sedentis sive horizontaliter positi. Ad amputationem extremitatis inferioris patiens in satis alta mensa, super quam stragula et cervicalia tecta sunt, ponitur, pede sano in sella fixo. — Compressorium supra locum amputationis applicatur, ubi non, quod magis aptum, adsunt assistentes ad comprimendas arterias. Assistentes ut ad quamvis operationem

etiam ad hanc eruditi necessarii sunt; optime adsunt quinque, quorum unius comprimere arteriam, secundi apparare instrumenta et deligationem, tertii supra, quarti infra locum operationis stare, et quinti est analepticorum(aquae frigidae, aceti, naphtae, sachari)curam habere.

Supra, ubi de loco deligendo dictum est, jam, quod animadvertendum sit, partim dixi. Animadvertendum autem est;

a) omne aegrotum resecandum,
b) sani quantum fieri possit conservandum,
c) quam maxime commoditati ad usum trunci providendum esse,
d) esse legem, ut cito fiat operatio. — Apud eos, qui nervorum imbecillitate post singulas sectiones intermissionem orare coacti sint, valere sententiam: „sat cito, si sat bene." — Medici hic cito operaturi ambitio patienti admodum esset periculosa.
e) Tantum telarum mollium reservandum, ut os tegatur et vulneris labia bene reuniantur,
f) praeterea lobum vulneris ita formandum, ut primae reunioni non repugnet,
g) si malum diuturnum amputationem indicet, experientiam docere, partes vicinas arteriis majoris voluminis esse praeditas. Quam ob rem amputationem superius esse faciendam, ne haemorrhagia aegre sedanda oriatur,
h) quod monuit Brüningshausen, ut membrum amputandum involvatur laneo ligamento, utile imprimis in membris varicibus affectis.

Amputatio fit aut

a) per sectionem circularem, aut
b) per sectionem lobularem, aut
c) per sectionem infundibuliformem.

ad a) Sectio circularis orta est in schola Alexandrina, et primus Celsus eam descripsit his verbis: „inter sanam „vitiatamque partem incidenda scalpello caro usque ad „os est sic, ut neque contra ipsum articulum id fiat

„et potius ex sana parte aliquid excidatur, quam ex „aegra relinquatur. Ubi ad os ventum est, reducenda „ab eo sana caro et circa os subsecanda est, ut ea „quoque aliquid ossis nudetur; dein id serrula praeci- „dendum est, quam proxime sanae carni etiam inhae- „renti. Ac tum frons ossis, quam serrula exasperavit, „laevanda est; supraque inducenda cutis, quae sub „ejusmodi curatione laxa esse debet, ut quam maxime „undique os contegat."

Hanc methodum correxit Cheselden (secundum nonnullos Petit) ita, ut cutis fortiter retracta primum sola persecetur, eaque retracta forti manu proxime margini musculi persecti retineantur. Ubi operatio fit in continuitate, praeciditur os et removentur ossa fissa serrula Knauri; in articulatione autem perscinduntur ligamenta.

ad b) Amputatio unilobularis (amputation à lambeaux) primum exercebatur a Verduin. In loco amputationis ancipiti cultro perforantur cutis et musculi; deductusque culter proxime ossi, ubi penetravit, oblique desuper simulque prorsus ducitur. Lobo ita facto levato in basi contrariae partes perscinduntur cutis et reliquae telae molles sectione semicirculari usque ad os: deinde separantur partes interosseae, et omnibus telis mollibus retractis os, quam proxime musculis potest, praescinditur, ossa fissa removentur, aut ligamenta dissecantur. Amputatio bilobularis secundum Vermale ita instituitur: Perforatur cultro bifido membrum satis alte super partem aegrotam in fronte infigente et retro penetrante; deinde secundum os culter de parte posteriori ad anteriorem et exteriorem ducitur. Eodem modo in altera parte lobus formatur eodemque in loco infigitur, quo in prima sectione primum incisum est. Periosteo deinde separato os quam altissime praescinditur, ossa fissa removentur; post amputationem autem in articulatione dissecantur ligamenta.

ad c) Sectionem infundibuliformem instituit Alançon, eamque ita exercebat:

Cutis sectione circulari separatur et reflectitur; cultro oblique sursum et introrsum circumlato musculi ita dissecantur, ut ossis serra praecisi frons in infundibuli apice sita sit. Haec operatio si adhibetur in articulatione, superficies articularis item in profundo infundibuli manet.

Quaeramus, quae methodus sit praestantissima et ceteris praeferenda. — Ea, quam Cheselden correxit, methodus Celsi vituperata est, quod ea os eminens nunquam plane tegi possit, quod saepe accedant haemorrhagiae secundariae, et amputatio, ubi una modo musculorum pars destructa est, nimis sursum facienda sit; ad quod posterius incommodum tollendum Verduin sectionem unilobularem instituit; lobo etiam os melius tegi contenditur. Vermale, et qui ejus exsequuntur methodum, affirmant, in sectione bilobulari impressione alterius lobi in alterum raro haemorrhagiam secundariam invadere. —

Adversarii contra sectionis lobularis, obliquam vasorum sectionem in amputatione lobulari, opponunt, adjuvare haemorrhagiam secundariam (quod ut ita dicam falsum est), et majus esse vulnus. Methodo Alançonis optime et facillime reunionem per primam intentionem effici contenditur, quum ea maxime parceretur cuti et musculis. Etiam huic methodo opprobrium fit, quod saepe magis sursum amputandum est et operatio ipsa difficillima. Harum methodorum, si eas adhibemus ad casus practicos et comparamus, nullam libenter mitteremus, quum in alio casu alia praestet. Ubique eodem modo amputare sive e. g. omnes cataractas uno modo operare, idem esset vitium. Ut aliis oculis Keratonyxis, aliis Scleroticonyxis aptior, ita in aliis membris praestat adhibere sectionem lobularem, in aliis sectionem conicam. Si, quibus casibus singulis singulae methodi conveniant, meditamur, haec inveniemus:

Methodus Celsi adhibeatur apud patientes admodum maceros, cute musculisque laxis, praecipue in brachio, secus in femore. Methodus Cheseldenii praeferenda in

fibris musculorum rigidis, in hominibus vulnerabilibus, in partibus magis tendineis quam musculosis. —

Methodus de Verduin bene convenit in partibus carne uberibus et in membris unius ossis, ubi partes molles magis sursum destructae sunt in uno latere, nec ad sedandam haemorrhogiam necessarii duo lobi. In iisdem, quos methodum Verduini indicare dixi, casibus indicata est methodus de Vermale, nisi patiens nimis vulnerabilis ac debilitatus, et si haemorrhagia ob vasorum majus volumen loborum compressionesedanda est.

Nec praetereundum est, in lobulari sectione cultrum amputationis non tantopere perdi, quam in sectione circulari, in qua facile incidit in os: quod in proeliis magni momenti est. — Haemorrhagia sedanda separatis musculis et praecisis ossibus imprimis animadvertenda. Haemorrhagia maxime initio hujus operationis eos, qui exercebant eam, incompleto ad haemorhagiam sedandam apparatu, terrebat. Multi patientes huic operationis malo succubuere, de quo ita queritur Celsus: „Sub ipso opere profusione sanguinis moriuntur.“ — Eo tempore, quo gangraena unica amputationis erat indicatio, et operatio inter fines partium gangraenosarum fiebat, haemorrhagia non accidens terrere non potuit. Ubi vero Celsus sententiam physiologicam statuit „inter sanam vitiatamque partem incidenda,“ tum, ne vita cum sanguine effunderetur, cogitandum erat. Medicorum igitur in sensum venit, effecta eschara arteriae finem claudere: quam ob rem truncus ferro candendi adurebatur sive pici ferventi immergebatur aut operatio ipsa instrumentis fiebat candentibus. Post aliquod tempus ab hac artis barbarie transitum est ad stiptica (alumen, vitriolum etc.). Dein tamponatio linteo carpto aut candelis cereis adhibita. Promulgata vasorum ligatura nova periodus orta historiae amputationis saeculo XVI. — Ambr. Parè ligaturam apud Arabes cognitam in amputatione adhibuit; quae vero simplex haemorrhagiae sedandae ratio non ita, ut erat exspec-

tandum, accepta est. Adustio et combustio exinde diu adhuc fiebat, quippe quae remedia praeter ligaturam nequaquam omitti posse putabant. Tum etiam, quum magis divulgaretur ligatio, ligationi directae indirecta a Parè saeculo XVIII docta anteferebatur, donec tandem Heister, Ledran et alii viri ligationis directae communem fecere agnitionem.

Ita exercetur ligatio, ut operans primum arteriam plurimum sanguinis effundentem ita comprehendat, ut alter arteriae paries inter duas compressorii sic dicti „Pincette“ partes situs sit, circum quam arteriam assistens proximus ponit filum rotundum, dein subducto per transversum filo altera nodi pars efficitur nodusque hac manipulatione iterata conficitur. Alter ligaturae processus praescinditur prope nodum et alter foras ducitur. Ligatis vasis majoribus et reliquis sedatis tollitur paullatim compressio trunci communis, ut magis appareant arteriae minores sanguinem profundentes. Lemnisci ossificatis modo arteriis adhibendi.

Larrey semper venas multum sanguinis emittentes ligavit, quod et Dupuytrin interdum fecit sed postea omisit, quod phlebitidem exinde ortam videbat. Supervacua certe venarum ligatio, cum sanguis in iis contentus jam inter operationem et arteriarum ligationem effundatur nec eo momento novus sanguis affluat. Nostris temporibus Francogalli recommandavere torsionem, quae substitueretur ligationi; ea vero modo apta est in vasibus minimi diametri. Vasibus primariis ligatis suffundatur vulnus aqua tepida ad abluendum omnem cruorem. Haemorrhagia parenchymatosa plerumque cessat uno vulneris latere ad alterum compresso sive etiam deligatione comprimente; ubi necesse est, brevi ac facile sedant fomentationes frigidae haemorrhagiam.

Ligaturae processus brevissima via foras ducti ab operatore lutaminibus parvis ceratis cuti affiguntur. Ubi exspectandae haemorrhagiae secundariae, deligatio in horam unam differtur, nec, ut volunt inclyti quidam

chirurgi, in viginti quatuor horas differatur deligatio, quia vulnus aëris aditui obnoxium admodum dolet.

Vulnerum lobularium lobus alter alteri apprimitur, quae situatio deligatione servatur. Post sectionem circularem ita musculi componantur, ut cicatrix post reunionem orta aut verticalis aut horizontalis sit. Compositis apte telis mollibus emplastra adhaesiva latitudinis digiti trans vulnus ponuntur, et singula emplastra adhaesiva ad latitudinem fere digiti dimidii se vicissim tegunt; vulnus ita unitum tegitur linteo carpto aut emplastro cerato; per transversum vulnus ejusque longitudinem apponuntur penicili simplices, qui continentur panno triangulari satis longo et lato, ut truncus totus penicilis et emplastris adhaesivis obtegatur. Super haec, si libet, applicetur etiam fascia circularis duos in transverso digitos lata et quinque ad decem ulnas longa pro membri diametro. —

Ubi telae tenerae sine vi non reuniendae et sanatio per suppurationem inducenda est, vulnus obtegitur penicilo aquae tepidae immerso, labia vulneris quam proxime conferuntur emplastro adhaesivo et fascia minus arcta. Ibi modo, ubi non sufficiunt telae tenerae, tendendum, ut deligatione partes quam proxime fieri potest, conferantur. Quod dictum est de cavenda metastasi in partes nobiliores, facta post diuturnam inanitionem, virium consumtionem et exulcerationem amputatione, quare non tendanda esset sanatio per primam intentionem, argumentis caret, primam reunionem unicam causam esse puris aggregati in venis et partibus nobilioribus: quod viri probati atque periti: Textor, Langenbeck, Chelius nunquam post primam reunionem observaverunt: id aut verum est, cum virium consumtione tanti vulneris per suppurationem sanationem conjunctam fore in casibus plurimis, quam ob rem ubique prima tentanda est reunio, quae scilicet raro plane progreditur sed plerumque modo partim efficitur, dum reliquum sanatur per suppurationem et granulationem.

Truncus ponitur in alutamine obtecto panno cera

obducto multiplicato, optime in ea ad corpus versione, quae inter deligationem fuit, ita ut quam maxime fieri potest musculi relaxentur; truncus tegitur arcu semicirculari ligneo.

Post operationem cura universalis est et localis aut trunci. Quod attinet ad curam trunci, inflammatio eo producenda, ut prima reunio aut plena aut partialis quidem contingat. Raro inflammatio imbecillior, rarius vehementior, ita ut exeat in gangraenam. Gangraena magis oritur ex male posita deligatione quam inflammatione locali reagente. In locis suppurantibus pus nimis profusum saniosum esse potest, quare adhibenda sunt remedia excitantia et roborantia. Ductus fistularum dilatandi et puris profluxus expediendus. Eminentia ossa abscindantur aut ossi cicatrisationem retardanti exfoliando cura habeatur, quod liquore Belostii aliisque ejusmodi remediis nancisci possumus. Haemorrhagiae non raro accidunt inopportunae aut ex vase non bene ligato, aut e ramo arteriae inter liganda vasa primaria retracto et operantis oculis semoto, aut e vulnere parenchymatoso. In primo casu solvatur deligatio novaque fiat ligatura; in altero sufficit compressio; optime applicatur fomentatio per longius tempus adhibita frigida. Doloribus non nimiis emplastra sex septemve primos dies intacta manent, quo modo primam intentionem optime nancisci possumus. Si symptomata indicant suppurationem, emplastrum levetur eo loco, quo apertissima fluctuatio, libereque pus emittatur.

In deligatione renovanda ita leventur emplastra adhaesiva, ne dislocentur ligaturae, quae, nisi deciderint ad diem XIV. attrahantur, ut decidant.

Cura universalis non minoris momenti in eventu est, quam localis. Febris post operationem orta, sic dicta febris inflammatoria, coërceatur pro intensitate aut nitro, Calomelane, aut largis venaesectionibus. Ad sedandum erethismum nervorum remedia deprimentia, ut aqua laurocerasi, Morphium, praestant. Vix memorandum est, diaetam accuratissimam cum tranquillitate animi

et corporis instituendam esse. Sub finem curae levior adhibeatur deligatio e linteo carpto et panno triangulari. Cicatrisatione jam perfecta aliquamdiu defeudatur cicatrix a compressione et frictione. Membrum artificiale de trunco imprimens patienti saepe ante quatuor ad sex menses non utile.

Prognosis semper non laeta, cum amputationis impetus, quam magna habilitate factae, nihilominus in organismum semper acerrimus maneat. Prognosis tamen his momentis modificatur: temperamento, constitutione, aetate, patientis genere, tempore et rebus, quibus suscipitur operatio, imprimis morbo et membro, in quo fit. Periculosissimae sunt amputationes femoris, ut opinor, propter magnam substantiae jacturam. Etiam apud patientes desperatos animo depresso mortisque praeludiis agitatos prognosis mala, nam intereunt encephalitid consecutiva.

Mors accedit aut inter operationem, quod quidem rarius, aut post eam, in quo utroque casu aut exit a sanguine aut a nervis. Individua anhaema minimam saepe non ferunt sanguinis jacturam, qua aut consumuntur aut paullo post anhaemia obeunt. Item etiam sunt tam vulnerabiles, qui reactioni in vulnus operationis ortae succumbant. Jaeger collexit maxime inclytorum chirurgorum ex amputationibus resultata in libro suo de amputatione, e quibus apparet, sextum quemque mori post operationem. Resultatum decem annorum in hospitio Juliano ex his videatur.

Vir clarissimus Textor in novo suo Chirone quinquaginta quatuor amputatorum historias notificavit, quorum duodecim mortui sunt. Ex his sexaginta amputatis, de quibus in hac dissertatione commemoro, viginti moriebantur: ergo e centum et quatuordecim mortui sunt triginta duo: ita ut omnino e tribus quatuorve unus spiritum exhalaret; cujus mortalitatis haec est causa, quod, sicut ex morborum historiis elucet, plurimae amputationes in femore fiebant, ubi mortalitas maxima.

Historiae morborum amputatorum.

Die wahren Aerzte verbinden mit der Vernunft die Erfahrung, weil ohne Vernunft die Erfahrung betrügt, und ohne Erfahrung die Vernunft lügt.

Zimmermann.

I. Amputationes brachii.

Historia I.

V. Sch. homo ex operarum classe, annorum quinquaginta, ante annos duodeviginti manum dextram frigore combussit, ex quo tempore quosdam annos perniones ulcerantes ei redibant. Ante tres annos inflammata in profundo, quin afferretur causa, articulatio olecrani, exunde ulcerabant durae et molles partes, pure interdum profluente, mixto fluido seroso, quod synovia agnoscebatur. Aegrotus, rheumatismo praeterea affectus, sumsit aconitum, quod adjuvabant medicamenta externe aptata. Die 11. Decembris anni 1828 amputatio circularis antibrachii facta; arteriae duae ligatae. Die sexto, quo deligatio mutabatur, cicatrisatio jam bene processerat, aegroto ordinatae species lignorum, donec bona valetudine mense Martio anni 1829 ex hospitio abiit.

Historia II.

P. St. adjutor molitoris mercenarius, annorum XX, staturae mediae, constitutionis sanae et florentis, dum obibat negotium, infortunato amplexu rotae molariae correptus est, quam, ut se defenderet, utraque manu comprendit. Illa vero ejus viribus non inhibita, brachium dextrum horribili modo quassavit, imprimis manum et antibrachium; molles brachii partes laceratae, et musculus brachialis ita retractus, ut brachium videretur luxatum; nervi plexus brachialis et arteria brachialis abrupta et ex magna parte nudata; humerus complicate fractus: brachium sinistrum idem ultra olecranon frac-

tum, partes antibrachii molles aliubi ruptae. Post sesqui horam, die 6. Aprilis 1830 miser, cui neque in discrimine, neque postea mens abfuerat, in hospitium delatus est; quibus infaustis auspiciis neque resectio humeri fissi, neque amputatio superioris brachii partis conanda erat; et exarticulare humerum dextrum secundum methodum Lafayeanam necesse erat; ligaturae 3 adhibitae sunt; haemorrhagia vehemens inter operationem orta; deligatio fascia Hoferi facta est.

Brachio sinistro fomentationes frigidae applicatae; die 10. Aprilis soluta deligatione vulnus exarticulatione factum laetum praebebat adspectum; sed truncus admodum sensibilis intumescebat. —

Antibrachium sinistrum oedemate intumuerat ultra articulationem olecrani; ex incisione facta pus large effusum, et jam erat apertum, non servari posse antibrachium sinistrum, quare die 5. Maji amputatio in superiore triente membri per sectionem circularem facta. Ex quamvis exiguae diametri arteriis haemorrhagia profusa; radialis et ulnaris ligatae. Vehementes post operationem dolores postero die remiserunt. Die 9. M., cum renovaretur deligatio, vulnus laetum. Antibrachii dolores ad diem 15. M. non cesserant, dum humeri cicatrisatio fere plena erat, quae perfecta ad diem 10. Julii. Antibrachium vero ad diem 30. Octobris cicatrisationi restitit plenae, quo tandem die in prytanaeum, hospitio Julii adjunctum bene sanus recipi potuit, ubi adhuc fungitur officiis portitoris.

Historia III.

M. A., annnorum 21, viro arboris trunco corruente antibrachium dextrum complicate fractum est, ita, ut ossa fissa perforarent musculos et cutem. Quum jam antea chirurgus paucas assulas excepisset, tertia post acceptam calamitatem hebdomate miser deplorabilem adspectum in hospitium detulit: brachium pure largo infiltratum dolores non minimi motus tulit. Exploranti

per vulnus apertum, ossa antibrachii fracta, et margines fracturae peracutos esse. Ad brachium conservandum hominis in flore aetatis ossium acumina irritantia serra de Heine remota die 10. Maji anni 1831; sed radii et ulnae primo triente resecto dolores ita exaltati, ut patiens oraret, ut amputatione liberaretur membro omnem animi quietem turbante. Quarto post resectionem die amputatio brachii cum lobo externo et interno facta. Post torsionem arteriae brachialis tentatam haemorrhagia stetit. Cessantibus jam primo post operationem die doloribus aegrotus anhelo animo diu absenti quieti se dedit. In deligatione mutanda nullam cicatricem duxerat vulnus; Suppuratione vero regulata sanatio ad diem 7. Septembris pefecta est.

Historia IV.

L. Sch., judicis publici filia, annorum 22, ante annum unum et trientem corruit in articulationem sinistram olecrani, unde inflammatio orta cariem induxit. Patiens animo caduco faciem accepit moribundae cachecticam. Cessantis jam per annum menstruationis vices gesserunt diarrhoeae cruentae, iisdem regulariter diebus durantes, quos tenuerat menstruatio. Postremas vero hebdomades tres ad quatuor diarrhoeae cruentae continebant; itaque post brevem roborantem curam brachium die 14. Octobris anni 1838 cum lobo interno et externo amputatum, et ad sistendam haemorrhagiam qninque ligaturae factae. Inter operationem breves convulsionum impetus; die 16. mensis febris, ad quam comprimendam nitrum datum. Diarrhoeae quidem adhuc aderant, sed incruentae. Die 22. mensis, quum primum solveretur deligatio, ascarides copiosi prorepernut; emplastra adhaesiva loco non mota, quia duo lobi per primam intentionem erant uniti; pus in iis modo locis, unde protinebant ligaturae; aegrotae rediit appetitus, non sine sensu firmioris habitus; ubi ligaturae protinebant, orta gangraena nosocomialis; aceto concentrato

partes affectae restitutae; et die 13. mensis cicatrisatio vulneris exiguis reliquiis plena. Cessanti cruenta diarrhoea apparuerunt molimina menstrualia; die 23. Novembris aegrota cum valetudine hospitium reliquit.

Historia V.

M. B. annorum quinquaginta, civis Wirceburgensis, multorum jam medicorum consilio ob annuam in posteriore olecrani sinistri parte fistulam, perviam ad os carie affectum, requisito sine fide et auxilio in hospitium se contulit, ubi, quam cupiebat, amputatio cum sectione circulari facta est die 11. Maji anni 1837. Praeter brachialem duae minores aliae arteriae ligatae. In renovenda deligatione die 20. mensis truncus partim cicatricem duxerat, ligaturae ceciderant. Die 4. Junii patiens sanatus dimissus est.

Historia VI.

L. M. annorum quadraginta septem, sutor, signatus scrophuloseos residuis ante annum primum sensit in inferiore brachii sinistri parte tumorem, qui mense Julio anni 1837 exstirpatus est, in qua vero operatione, ut videbatur, pars relinquebatur. Jam ex duodecim hebdomadibus malum redierat, et afflictus in hospitium confugit. Tumor exploratus triplicis pugni habebat extensionem cum quadam duritie; eum cute non cohaerere apertum; adspectus ruber et varicosus. Patiens inunctioni subjectus; sed jam post primam inunctionem salivatione consecuta impatiens et intolerans factus dimissionem ex hospitio requisivit. Tertiam partem tumor increverat; dolores intolerabiles; cutis ardens et rubefacta extensissima; et omnia indicarunt operationem, quamvis jam non in sana parte faciendam, ultimum refugium. Sectio de plica humeri circulo circum brachium ducta non omne morbo correptum abstulit. Arteriae tres li-

gatae; quarta post operationem die haemorrhagia facta ex vase ligato: soluta deligatione ligatura, quae persecaverat, in superiore parte arteriam tenuit. Die 16. demum ceciderunt ligaturae. Duas adhuc hebdomades patiens perseveravit in cura, quibus cicatrisatio exiguis reliquiis bene processit. Nostalgia patienti triste fecerunt hospitium, quod non plane sanatus reliquit.

Historia VII.

J. Sch. annorum triginta quatuor cum carie totius articulationes olecrani hospitium intravit, quod malum ante tres annos ex ictu in partem facto ortum erat. Ex diuturna virium inanitione febris hectica, diarrhoea et summa emaciatio cum debilitate secuta est. Die 10. Octobris anni 1838 amputatum sectione circulari, et ligatis arteriis brachiali et tribus muscularibus haemorrhagia cessit. Rara patientis inter operationem quies. Die 18. mensis apud renovandam deligationem vulneris labia quidem nondum unita, sed granulatio frequens. Die 19. tanta cum animi exaltatione inquies, ut devolveretur deligatio; die 20., 21., 22. et 23. febris continua remittens, exaltatio cum perturbatione plena pronuerunt mortem die 24. consecuturam.

II. Amputationes antibrachii.

Historia VIII.

P. R. annorum 56., molitor, validae constitutionis manum inter opus laesam neglexit, donec caries articuli manus sinistri in hospitium eum deduxit. Die 1. Septembris anni 1824 amputatio cum lobo facta, ligatae arteriae quinque. Die 5. mensis deligatio soluta, et

reunio exiguo loco reliquo perfecta ad postremos ejus mensis dies patienti concessit, hospitio valedicere.

Historia IX.

M. B., annorum 67, cariei metacarpi ex incisione profunda in volam manum curam requisivit. Ob intolerabiles et ex apprehensione et ex motu dolores instituit patiens faciendae operationi, quae facta die 18 Julii anni 1827 prope articulationem manus. Quinque arteriae ligatae. Sexto post die soluta deligatione prima lobi, nisi loculus pure obductus, erant uniti; die 18 Augusti patiens sanatus dimissus est.

Historia X.

A. Sch. annorum 65 hospitio receptus ob annuam cariem antibrachii sinistri, quod die Julii 21. anni 1830 cum sectione lobulari amputatum est. Soluta deligatione prima die sexto lobus adhaesivit, ut patiens post brevem roborationem die 1. Septembris dimitti posset.

Historia XI.

A. B., annorum 56, operationem manus sinistrae carie arthritica affectae cupiens in hospitium venit. Amputatio die 3. Januarii 1832 prope articulationem carpi manus per lobum ex pronatione antibrachii facta est. Haemorrhagia per se stetit, quare ligatura nulla applicata. Soluta prima deligatione vulnus ad tertiam partem unitum; patiens remissis doloribus quietus. Ex vulneris parte nondum unita per compressionem pus ex profundo provenit; die 12. mensis magna trunci sensibilitas, ut opium ad sedandos dolores esset dandum. Praeterea dolores perforantes et rapientes extremitatum inferiorum; truncus die 15. mensis oedematose intumescebat; granulatio cum pure malo; appetitus aberat: diarrhoea frequens: quae vero omnia ad meliora

versa sunt, ita, ut bona veletudine die 20. Februarii patiens hospitio excederet.

Historia XII.

v. P., officii militaris, annorum 27, percussit disjecto telo pneumatico manum sinistram ejusque antibrachium. Secunda post hora, die 26. Augusti anni 1836 cum lobo antibrachium amputatum; tres arteriae ligatae. Post operationem febris prominens sexto demum die cessit. Die 2. Septembris, cum solveretur deligatio prima, ceciderant ligaturae et cicatrisatio partim processerat, pure benigno. Post aliquot dies, sanatione plena propinqua, patiens hospitio excessit.

Historia XIII.

F. L., annorum 22, famula cultro perfodit manum; vulnere ulcerante reactio vehemens, cui accessit febris et citus patientis collapsus. Die 10. Junii anni 1837 amputatio antibrachii instituta. Arteriae radialis et interossea ligatae: ex ulnari haemorrhagia nulla. Quinta post die, cum renovaretur deligatio ex musculorum interstitiis pus large effusum, quod die 23. mensis ex duobus canalibus, sesqui digitos supra vulnus convergentibus provenire repertum est. Canales diviso interstitio uniti; Patiens hysterica praeterea affecta constrictione pharyngis, gravitate sub sterno: contra haec boni effeetus castoreum. Exploratio pectoris indicavit dilatationem cordis: die 24. mensis impetus suffocativi finierunt vitam cum paralysi pulmonum.

Historia XIV.

S. E. H. annorum 67, jam multos annos regulariter arthritidi affecta, quae semper deposuerat in sinistram manus articulationem, post postremam depositionem arthriticam ex inflammatione ulcus carcinomatosum

retinuit, saniem acrem penetrante odore secernens; ossa metacarpi erant nudata, carie corrosa, tendines contractae, ligamenta corrupta, quamquam reliqua non mala valetudo, patiens pro aetate robusta et valida. Die 1. Augusti antibrachium amputatum; quinque arteriae ligatae. Ad quintum post operationem diem patiens bene se habuit; quo vero die in pejus res versa, ex somno patientem frigus indurans per horam excepit, lingua rubefacta, obducta; sitis insatiabilis; meridie frigus rediit; lingua rigida; pulsus acceleratus, sed facile comprimendus; cutis temperatura aucta; patiens in delirio; die septimo mensis diu remittentes, noctu intendentes impetus; die 8. mensis deliria blanda, quae non cesserunt per noctem; incontinentia urinae; anhelans, stertorosa respiratio; nullus his diebus vulneris dolor; suppurationis vestigium nullum; patienti ordinatum sal ammoniacum; die 9. brevis sed vehemens horripilatio frigoris cum delirio invasit; facies callapsa est, et patiens obiit mortem.

Historia XV.

J. F. annorum duodecim ob cariem scrophulosam ossium metacarpi sinistri die 4. Julii 1838 per sectionem circularem antibrachii amputatus est; tres ligaturae sedarunt haemorrhagiam; die 10. mensis cum solveretur deligatio, ligaturae ceciderant; vulnus unitum; minus favebat status reliquus, cum adesset diarrhoea et vomitus. Accedente hydrope ascite patiens febri hectica consumtus est die 16. mensis.

III. Amputationes femoris.

Historia XVI.

J. N. annorum 29. mense Januario ictu ad genu dextrum inflammationem sibi adscivit, cui accessit rheumatismus. Apud introitum in hospitium Julianum genu et pars inferior femoris transierant in suppurationem et ossium et involucri. Ex nonnullis diebus diarrhoea; die 26. Januarii anni 1824 amputatio cum lobo externo facta; quinque arteriae ligatae. Octavo post die cum solveretur deligatio, lobus non coaluerat; truncus, dum omne vulnus odore maligno purulentum copiosissimum pus secernebat, admodum tumescebat et dolebat. — Accessere post aliquot dies diarrhoea, decubitas ad trochanterem partis affectae, febris hectica per consumtionem die 14. Februarii lethalem exitum accelerantes.

Historia XVII.

J. H. annorum duodeviginti, praesentans completam scrophulosim confugit ob cariosam devastationem tibiae in hospitium; telae molles suppuratione usque ad femur correptae, quare amputatio die 5. Octobris anni 1824 in alto femore per sectionem circularem facta, quatuor arteriae ligatae. Mutata die 10. mensis deligatione prima ad tertiam usque diem Novembris nil momenti evenit; hoc vero die frigus, calor et sudores invasere; faeies icterici coloris; diarrhoea et sudores colliquantes ita debilitarunt patientem, ut inanitione die 21. Novembris occumberet morti.

Sectio facta partim jam emollita in pulmonibus tubercula ostendit; ren et glandulae abdominales consumta atrophia.

Sectio trunci: os in fine prominente habebat ex-

foliationes, circum, ubi nulli erant musculi, granulationes carneae concreverant. Nervorum trunci paullum tumescebant; arteria cruralis obliterata et in altitudine aliquot digitos in telam ligamentosam erat conversa.

Historia XVIII.

M. B. annorum undeviginti cum abscessu inflammatorio femoris in hospitium receptus est. Ex tumore brevi aperto pus ad quantitatem librae emanavit, os in parte necrosi adesum. Cura tonico et roborante sensim inhibita suppuratio; sed alius abscessus in articulatione genu contractus timorem excitavit, ne utroque malo exitus colliquationis afferretur, quare amputatio cum tribus ligaturis die 28. Martii anni 1825 cito facta est. Cum prima solveretur deligatio, ceciderant ligaturae et jam nunc lobus plane adhaesiverat, et diebus postremis Junii jam ita patiens convaluerat, ut pede artificiali hospitio exire posset.

Historia XIX.

G. G., annorum triginta quinque, admodum debilis constitutionis et valde maceratus, osteosteatomate genu dextri in hospitium destinatus, praemissis ad roborandas vires variis Chinae praeparatis, die 7. Novembris anni 1825 cum lobo externo amputatus est. Contra haemorrhagiam vehementem quatuor ligaturae factae; sed die post operationem octavo ligatura arteriae cruralis ob haemorrhagiam secundariam altius movenda erat. Vulneris adspectus non laetus; telae vasculosae dyskrasia correpta videbantur. Soluta deligatione die 4. Decembris inducta erat granulatio bona sed lente progrediens, quare fomentationibus Chinae et sumta Columbo adjuta est, donec patiens die 16. Decembris sanatus hospitium relinquere poterat.

Historia XX.

F. M., annorum viginti, murarius, pegmate delapsus femur dextrum fregit. Paucos post traumaticam affectionem dies tanta reactione in hospitium delatus est, ut amputatio esset differenda, quoad, temperata antea febri cura antiphlagistica die vulneris vigesimo quarto, Julii 25. anni 1826 operatio suscipi poterat; facta in superiore femoris triente per sectionem lobularem; haemorrhagia parca; tres arteriae ligatae. Lobus adhaesiverat die sexto, cum solveretur deligaiio prima, usque ad margines; duae ligaturae remotae. Post aliquot dies cecidet ligatura arteriae cruralis, et perfecta sanitate die 30. Novembris patiens dimissus est.

Historia XXI.

B. St-, annorum 38 cum contracto ex lapsu inflammatione et suppuratione genu dextri in hospitium venit. Die 22. Mertii 1828 amputationi femoris subjiciendus erat. Haemorrhagia ex multis arteriis muscularibus frequens, idem ex venis; arteria cruralis cum tribus minoribus ligata. Paucas post horas accessit haemorrhagia secundaria, contra quam soluta deligatione duae arteriae erant ligandae. Die 30 in solvenda deligatione adhaesio lobi facta. Die 2. Aprilis ligaturae, postremo positae ceciderunt, aliae die 9. et 11. Die 5. Maji patiens sanatus dimissus.

Historia XXII.

G. G, annorum 25, sutor, constitutione cachectica amputationem femoris dextri in inferiore parte carie cum immensis doloribus, cum moverc vellet genu, die 13. Martii 1829 in hospitio Julii requisivit. Qua facta per lobum externum haemorrhagia parca ligatis arteriis cruralis et duabus minoribus sedata est. Cum die 22. prima solveretur deligatio trunci bono adspectu lobus

adhaesiverat; qui vero laetus rei status die 24. Aprilis in pejus se vertit; vulnus malum, laridum; ligaturae vero jam die 3. Aprilis ceciderant. Truncus varius, modo benignus modo minus optatus, quae variabilitas ad cicatrisationem mense Octobri continuit. Brevi deinde vehementi in trochantere femoris operati dolore invasus est, qui sedantibus, diminuentibus nervorum sensibilitatem mediis uon cesset. Fonticulus positus in parte affecta, prope quem post aliquot dies tumor cum fluctuatione turgescebat, ex quo per punctionem pus effusum est largum. Patiens cito emacrescens, quin accederet colliquatio per cutem et tractum dic 2. Aprilis occubuit.

Historia XXIII.

J. N. praecepturae candidatus, annorum 21 sine ullo dyscrasiae signo, cum inflammatione ex causa non aperta genu dextri iu hospitium venit; inflammationis processum dissolvendo inhibere conatus non felix; malum imo deterioratum, dolor ex profundo intolerabilis omnem motum sustulit. Dolor, cum febri et insomniis, deinde accedente decubitu consumsissent patientis vires brevissimo tempore; quare etiam semper negata amputatio et tandem permissa exiguam spem feffellit, cum patiens duas circa post operationem horas exhausta vi vitali obiret.

Historia XXIV.

J. J. sutor annorum quadraginta octo ante annos quatuordecim inflammationem rheumaticam genu sinistri sibi conciverat, quae in suppurationem tentata plures hebdomades eum detinuit; sed cura prudenti integra restitio effecta est, Paucos menses ante introitum in hospitium nullo causali momento dolor in genu rediit, sequente inflammatione et carie. Medicus consultus medicamentis quidem, queacunque tentasset, eum non restitucrat, sed vires tamen ejus sustentarat, ita, ut

amputatio per sectionem lobularem die 22. Februarii anni 1831 fieri posset. Praeter arteriam cruralem tres arteriae minores ligatae.

Non omne morbo implicatum operatione remotum est, nam post sectionem muscularem ex musculis superioribus pus multum provenit ex fistulis. Cum prima solveretur deligatio vulneris adspectus laetus, granulatio benigna. Tredecimo post operationem die ligatura cruralis cecidit; febris nulla; sed post aliquot dies detectae fistulae juxta cruralem; in trunco erysipelas oedematosum; in trochantere majore decubitus. Deligatio compressiva non impedivit, quominus proflueret pus; lenta incessit; sana cicatrisatio trunci lente advenit die 10. Junii.

Historia XXV.

Ph. K. annorum sedecim lato tumore genu sinistri, multitudine ulcerum fistulosorum, ex quibus pus largum corrodens ligamento articuli effundebatur, carie utriusque condyli et febri hectica in hospitium delatus est: id malum ictu ante quinque annos ad genu ineptaque curatione exortum. Amputatio die 11. Julii 1833 facta cum lobo externo; contra haemorrhagiam tenuem unica cruralis ligata. Inter operationem patiens, admodum irritabilis, vomebat; per insomnia primae noctis immensa patientis anxietas; ad quartam usque diem febris; die 17. Julii, cum renovaretur deligatio, lobus non adhaeserat, mali caridi adspectus; die 19., quin affuisset causa, palpitatio cordis cum pulsu irritato, frequenti; faciei color ictericus; oculus defractus, debilis; delirans sub vesperem putabat, se iterum secari; die 20. febris continua; in omnibus actionibus debilitas communis. Cum solveretur deligatio, ceciderat ligatura arteriae cruralis: patiens tandem consumtione peremtus est.

Historia XXVI.

J. T. annorum undecim, cum carie et necrosi per maximam partem tibiae in hospitium delatus die 30. Januarii 1832 per lobum externum in parte tertia femoris inferioris amputatus est. Inter operationem patiens admodum sollicitatus; haemorrhagia copiosa; torsione cruralis arteriae frustrata ligatura adhibita.

Post operationem invasere patientem vomitus frequens, singultus, sitis vehemens, pulsus parvus, frequentissimus; extremitates frigidae; respiratio impedita; sollicitudo innumera, et sic mors prima post operationem vespera consecuta est.

Historia XXVII.

G. M. annorum quatuordecim, musculosae constitutionis, ob chronicam oculorum inflammationem, ob abscessum lymphaticum in regione lumbali, praecipue ob scrophuloso-cariosam devastationem genu dextri auxilium hospitii requisivit. Paucos dies receptus amputationi partis inferioris femoris cum lobo externo se subjecit; duae arteriae ligatae. Cum restauraretur deligatio, reunio per primam intentionem facta, unam ligaturam cecidisse apparuit: die quarto ligatura altera remota. Die 21. post operationem cicatrice per se partim separata parcum sed saniosum pus profluxit; cura prudenti et interna et externa patiens ad plenam fere valetudinem perductus in balneum Kissingense sumtibus hospitii missus est.

Historia XXVIII.

A. K. annorum 36 hospitii auxilium requisivit ob impeditam jam per dimidium annum tumore arthritica omnem articulationem genu dextri. Die 24. Julii anni 1832 in interna genu parte fluctuatio apparuit, et ex incisione facta copia purulenti puris effusa est. Digitus

inquirens reperit os nudatum. Die 1. Augusti amputatio facta cum lobo externo; tres arteriae praeter cruralem et profundam ligatae. Lobus reunitus suturis quinque cruentis et pluribus emplastris adhaesivis. Haemorrhagia secundaria post aliquot horas apposito „Tourniquet“ et fomentationibus frigidis sedata. Die 9. Augusti, cum solveretur deligatio, granulatio parca, exiguae modo partes adhaerentes. Imprimente secundum decursum arteriae cruralis digito sanguis putridus apparuit. Die 12. ligatura cruralis ceciderat: truncus fere totus sanatus. Cicatrisatione adhibito lapide infernali perfecta patiens laetus die 13. Octobris ex hospitio abiit.

Historia XXIX.

S. E. annorum 62, die 26. Februarii anni 1836 ob cariem genu dextri eo progressam, ut crus esset luxatum, et membrum oedematose intumesceret, per lobum externum amputatus est: quamquam non intenta ex arteriis haemorrhagia tamen praeter cruralem et profundam septem aliae arteriae erant ligandae. Post aliquot horas tam impetuosa et vehemens haemorrhagia secundaria accessit, ut, priusquam solveretur deligatio patiens imbecillitate paene obrueretur, horrore frigido et frigidis extremitatibus jaceret. Apposito Tourniquet quatuor sanguinem emittentes arteriae ligatae, frigidae fomentationes factae. Octavo post operationem die soluta deligatione fomentationes aromaticae contra malum vulneris odorem adhibitae. Die 4., 6., 9. Martii patiens frigore agitatus per horam matutinam, die 5. et 7. mensis post meridiem incurrente; praeterea collabantibus viribus et stertorosa respiratione et die 10. ter incursante frigore patiens occubuit morti.

Historia XXX.

D. E. annorum 23, ulceribus scrophulosis ad col-

lum affecta jam quinqne annos carie genu sinistri detinebatur; ex profundis articulationis fixae partibus per fistulas prope condylos pus effundebatur. Diarrhoea, febri hectica, mala digestione postremis mensibus patiens admodum erat debilitata. Jam diu aberat menstruatio: pulmonum tuberculis persitorum congestiones aderant. Die 29. Januarii anni 1836 per lobum externum amputatio facta; contra haemorrhagiam non vehementem quatuor arteriae ligatae. Quinto post operationem die provenit in pedis prius sana parte inferiore tibiali abscessus lymphaticus. Die 5 soluta deligatione lobi margines maligni; lobus ipse adhaesiverat; duae ligaturae ceciderant: ad continuam febrim hecticam et emaciationem accessit tussis cum sputis cruentis lethalemque exitum die 20. Martii attulit.

Historia XXXI.

A. E. annorum triginta, in hospitio carie corroso genu dextro liberari cupiens die introitus Martio anni 1836 per lobum externum amputatus est; arteriae sex ligatae. Septimo post operationem die, cum solveretur deligatio, lobus plene adhaesiverat, et breve tempus patienti permisit relinquere die 13. Aprilis hospitii curam.

Historia XXXII.

J. B. annorum viginti novem, bibliopegus, die 10. Augusti 1836 ob suppurationem genu sinistri per lobum externum amputatus est. Tres ligaturae sedarunt haemorrhagiam. Die 19. soluta deligatione ligaturae quidem ceciderant, sed lobus non adhaesiverat, pure superfusus. Lente procedente sanatione patiens cum vulnere non plane cicatrisato curam hospitii reliquit.

Historia XXXIII.

St. M. textor, annorum 58, carie affectus genu sinistri, ex anno admodum intumescentis, pure mali odoris per foramen effluente in hospitium delatus est, ubi die 11. Novembris anni 1837 amputatio femoris per sectionem circularem facta est: sola cruralis ligata. Die 17. mensis, cum prima solveretur deligatio, vulnus benignum; die 20. adhaesio procedens: die 27. cecidit ligatura, et ita omnibus rebus propitiis sanitas patienti permisit, ex hospitio abire.

Historia XXXIV.

D. D. annorum 18. scrophulosi cachecticus, ob cariem jam biennem genu dextri in hospitium confugit, ubi amputatio femoris per lobum externum die 23. Novembris anni 1837 facta est. Sex arteriae ligatae. Cum solveretur deligatio die 29., lobus bene adhaesiverat, marginibus pus producentibus. Die 2. Decembris invasit haemorrhagia secundaria unciarum octo; soluta deligatione compressorium oppositum, fomentationes frigidae trunco quamvis sensibili applicatae bono eventu. Die 13., 17 et 20. ceciderunt ligaturae. Die 1. Januarii vulneris reunio erat perfecta, sanitas laeta.

Historia XXXV.

A. F. annorum triginta sex, lapsu de duabus contignationibus fracturam complicatam sibi concivit. Mox febris; dolor pectoris; exploratio invenit costas quatuor superiores fractas. Cum consequenti antiphlogosi conjuncta Cataplasmata frigida. Die 10. Januarii anni 1838, die 9. accepti mali in prima parte femoris sectio circularis facta; sola arteria cruralis ligata. Post operationem frigebat patiens, sollicitus peragebat noctem: nocte diei undecima mensis frigus redibat; ordinabatur Chinin. sulph. Die 13. frigus nullum; sed deliria et obumbratio.

Chininum iterum praebitum; per horas duas frigus die 14., Meteorismus, frigus iterum die 15., respiratio impedita effecerunt impetum tandem lethalem.

Apud sectionem pus cruentum in vena crurali, coagulum cum exsudatione livida in vena iliaca. Telae vasculosae venae cruralis inflammatae; abscessus magnitudine pugni sub sinistrom. pectorali majore, ubi tres costae fractae erant. Pulmo sinister ubique adhaesiverat, sero suffusus; in parte thoracis dextra puris unciae duae aut tres; in lobulis pulmonum hepatisatio; uno loco abscessus nucis silvestris magnitudine, circnmdatus hepatisatione.

Historia XXXVI.

G. W. annorum 37, constitutionis validae frigore sibi inflammationem genu sinistri conscivit; medici prudenter malum tractantis opera frustranea adhibita post annum cum fistulis perviis ad os necrosi correptum, cum carie genu, afflicto adspectu, febri hectica sub vesperam, sed bono appetitu in hospitium venit. Die 12. Septembris anni 1838 amputatio superioris partis femoris per sectionem circularem facta est; arteria cruralis et profunda ligatae. Soluta prima deligatione vulnus bene adhaesiverat, et parvis duobus meatibus provenit parcum pus. Die 26. mensis cecidere ligaturae et patiens die 24. Decembris dimissus ex hospitio.

Historia XXXVII.

B. J.; miles emeritus, annorum 57, ob luxationem spontaneam genu dextri arthriticam in hospitii curam se contulit, quam apud plures medicos non invenerat. Crus plane ad posteriorem externam partem luxatum erat; membrum inflammatum, admodum dolens. Die 23. Novembris anni 1838 amputatio per sectionem lobularem externam facta in femore. Patiens, multum profatus de animo patiente et infragibili inter opera

tionem admodum erat inquietus, intolerabiles detestebatur dolores. Arteria crurali ligata imbecillitati obrutus, conspersus vero aqua frigida, et aethere ad nasum halante revocatus est. Convulsionibus deinde accedentibus etiam fractis sparsit sales, rogavit vinum, cantavit melodias potati. Praeter arteriam cruralem profunda ligata est. Facta unam post operationem horam deligatione dolores comburentes in vulnere patiens querebatur, omnem animi magnitudinem oppressit tristitia. Die 24. et 25 ex multo tempore primus patientis somnus. Deligatione die 38. mensis soluta ligatura profundae ceciderat, adhaesio lobi facta. Vehementes genu alterius dolores; in trunco fistulae; pulsns parvns, patiens lividus, occupatus sequenti nocte deliriis; incontinentia avi, quam sequebatur mors die 29. Decembris anni 1838.

IV. Amputationes cruris.

Historia XXXVIII.

S. S. E, annorum triginta trium ob cariem pedis dextri in hospitium delatus est. Plures in pede erant fistulae, dolores vehementes cum febri eum vexabant. Die 23. Novembris anni 1824 crus amputatum; tres arteriae ligatae. Magna patientis sensibilitas. Soluta deligatione prima die 29. lobus adhaesiverat; die 18. Decembris cecidere ligaturae; die 12. Februarii patiens sanus dimissus est.

Historia XXXIX.

A. D., annorum 24, non ignorandis dyscrasiae crophulosae reliquiis contra torsi sinistri cariem orga-

nismum admodum debilitantem cum febri et inanitione conjunctam in hospitio auxilium requisivit. Amputatum per lobum die 25. Novembris anni 1821. ligaturae quatuor factae. Patiens post operationem nil votis reliquit: soluta deligatione prima lobus bene adhaesiverat, suppuratio pauca; ligaturae ceciderant; die 4. patiens jam sustentaculo adjutus ad vicesimum quartum Decembrem hospitium reliquit.

Historia XL.

M. W., annorum quadraginta die 21. Decembris anni 1824 cum complicato pedis vulnere in hospitium delatus, ubi die 24. mensis amputatio cruris per lobum unum facta est. Die mensis 31. soluta deligatione prima lobi fere totius reunio facta erat; die 7. Januarii cecidere ligaturae, et die 26. Februarii patiens sanatus dimissus est.

Historia XLI.

F. S. annorum 53 lapsu camplicatam dextri cruris fracturam sibi concivit; ob quam die 20. Maji 1825 in hospitio, quin ullos proderet dolores, amputatio facta est. Primo post operationem die admodum collapsus videbatur, non sine febri; in tergo decubitus; soluta deligatione prima die 27. mensis lobus non erat reunitus; decubitus amplior; die 31. obiit.

Apud sectionem apertis ossibus cranii apparuit mox sub epicranio exsudatum non parvum diffusum per utramque haemisphaeram, salinum, gelatinosum; substantia cerebralis parum mollior, imprimis thalami nervorum opticorum.

Historia XLII.

A. W. annorum undeviginti die 19. Aprilis anni 1826 resectioni ossis metatarsi et halucis pedis sinistri

se subjecerat. Die 20. Maji ob cariem pedis sinistri amputatio cruris facta, ubi tres arteriae ligatae. Paullo post deligationem positam apparuit haemorrhagia secundaria, contra quam soluta deligatione lobi duobus emplastris adhaesivis continebantur, super quae per intervalla aqua frigida fundabatur. Die 26. omnes ceciderant ligaturae, et patiens die 19. Augusti refecta valetudine obiit.

Historia XLIII.

J. D. annorum 58 fracturam complicatam lapsu de cursu acceperat cruris sinistri, ad quod in integrum restituendum apta deligatio apposita. Cum vero die 15. mali, 22. mensis Januarii anni 1827 primum gangraena animadverteretur, amputatio cruris per sectionem lobularem statim facta; secundo dein die patiens obiit impetu frigoris tenente.

Sectio facta approbavit, lobum omnino non adhaesisse sine granulatione, cujus loco pus purulentum, subnigrum. Nudati tibiae et fibulae trunci ad quatuor lineas nigri, gangraena mortificati. Ad telas vasculosas arteriae cruralis, ubi intrat in cavum abdominis, pus erat appositum.

Historia XLIII.

M. S. annorum triginta ob eariem pedis in Julii hospitium receptus amputationi secundum Chopart se subjecit die 9. Martii anni 1830; plantaris externa eique vicina arteria parva ligata. Post operationem patiens vehementes querebatur dolores, qui cessabant nocte. Die 14. accessit haemorrhagia secnndaria; sanguis purpureus manavit ex deligatione de suris, sed brevi cessit compressorio et fomentationibus frigidis. Die 19. compressio gradativa ad plantam pedis posita est, et die 22., jam abiit patiens sanatus ex hospitio.

Historia XLV.

M. G. annorum viginti propter diuturnam jam pedis dextri cariem die 6. Decembris anni 1830 amputatus est. Vehemens inter operationem haemorrhagia, imprimis ex venis: tres arteriae ligandae fuere. Die 12. soluta deligatione ubique adhaesiverat deligatio; die 19. cecidere ligaturae, et patiens bene se habens dimissus est.

Historia XLVI.

A. S. annoram viginti die 11. Januarii anni 1832 amputationem cruris propter cariem scrophulosam pedis dextri subiit, apud quam duae arteriae ligatae. Nocte decessit deligatio cum emplastris adhaesivis, sed lobus jam undique adhaesiverat. Deligatio reposita; cicatrisatione quamvis lenta patiens tamen jam die 22. Martii sanatus discessit.

Historia XLVII.

A. K. annorum viginti duorum per sectionem lobularem ob fistulas cruris dextri devias in cariosam tibiam die 20. Septembris anni 1831 amputatus est; sola arter. tibialis postica ligata. Soluta die 29. prima deligatione vulnus ad latitudinem digiti adhaesiverat; die deinde 13. Octobris patiens validus dimissus est.

Historia XLVIII.

M. S. annorum triginta octo die 18. Novembris anni 1832 ob complicatam cruris fracturam amputatus est. Haemorrhagia profusa est sedata quatuor ligaturis; die 22. pus adeo penetraverat, ut deligatio esset renovanda. In profundo vulnus reunitum: sed margines tumescentes, laridi; die 5. laete progrediens granulatio

sanationem ad diem 14. Januarii effecit, quo patiens dimissus est.

Historia XLIX.

M. Sch. famulus annorum viginti octo cum fractura tibiae et fibulae complicata curru graviter onusto effecta in hospitium delatus est. Tibia et fibula ter supra malleolum erant fractae; utrumqne vulnus, ex quo eminebant ossa fissa, die 3. Aprilis anni 1835 reunitum, marginibus ossium osteotomo de Heine remotis, membrum positum in deligationem de Desault. Per aliquot dies febris et insomnia. Soluta deligatione pes partim apparuit gangraenosus, periosteo tibia nudata, suppuratio largissima. Die 15 amputatio cruris sectione unilobolari facta; quinque arteriae ligatae; die 19. soluta deligatione lobus bene adhaerebat; tres ligaturae ceciderant; reliquae die 21. remotae; cum grata valetudine patiens mense Junio hospitium reliquit.

Historia XLX.

I. G. annorum 64 ob cariem pedis sinistri cum magna debilitate in hospitium receptus est, ubi die 22 Julii amputatio cruris cum uno lobo facta. Pauca post appositam deligationem haemorrhagia secundaria sedanda frigidis fomentationibus. Die 24. apud solutam deligationem iterum oriebatur haemorrhagia secundaria. Vulneris adspectus malus, nulla vis vitalis; Die 1. Augusti debilitas patientem consumsit.

Historia LI.

L. B, annorum triginta trium, sine laeto eventu per qninque annos medicorum laborem contra cariem pedis sinistri adierat. Cum semper retineretur lecto, ankylosis spuria accessit. Cum hoc malo, sanitate omnino tristi sine appetitu patiens in hospitium delata orans,

ut statim operatio fieret, quae instituta die 20. Augusti anni 1835 sectione lobulari; duae arteriae ligatae; duae minores torsione sedatae. Prima deligatione soluta duae ligaturae ceciderant, lobus plane adhaesiverat. Die 10. Septembris optime patiens se habuit, adspectu alacri et sano, et adpetitu bono, sic cura ad diem 27 Septembris plena. Ankylosis spuria patientis exercitationibus in eundo per fulcra et linimenta sensim sublata est.

Historia LII

B. W. annorum quinquaginta quinque vidua ob cariem jam ex dimidio anno ossium metatarsi die 5. Jnlii anni 1836 cruris amputationi per sectionem lobularem se subjecit in hospitio. Ad diem 18 mensis nil, quod esset momenti, accidit: sub vesperam vero ejus diei per horam unam impetu frigoris detinebatur, qui noctis prima hora redibat. Cum sequente calore invasere sudores copiosi. Die 20. frigoris reditus; die 21. et 22. deliria; calor continuus; trunci gangraena; incontiuentia ani, quorum mors die 24 finem fecit.

Sectio invenit saniem in vena crurali, telas membranaceas venarum obscuri obtusique adspectus.

Historia LIII.

G. F. servus, annorum triginta quinque, nullum alium vitae unquam morbum indicans, nisi ante duas menses pedis sinistri male eundo factam luxationem, quae concivit suppurationem membri, insomniam, apetitus jacturam cum magna emaciatione. Febris hectica minans acceleravit die 9. Maji 1837 amputationem cruris per unum lobum; tres arteriae ligatae; reactione cunctante deligatio prima die demum 18. mensis soluta, ubi adhaesiverat lobus, truncus vero admodum intumuerat. Die 20. ligaturae remotae. Trunci forma meliore patiens dictus primis diebus Junii fulcro ex hospitio abiit.

Historia LIV.

I. G, annorum undetriginta, habitu scrophuloso spina ventosa tarsi dextri affectus per annum in hospitium se contulit. Per musculos sonda pervia ad partes carie corrosas. Die 4. Julii anni 1838 per sectionem lobularem amputatum; quatuor arteriae ligatae. Aliquot post operationem horas apparuit haemorrhagia secundaria vasculosa ut parenchymatosa, contra quam soluta deligatione una arteria ligata; fomentationes frigidae adhibitae. Cicatrisatione ad diem 15. Septembris perfecta patiens dimissus est.

Historia LV.

S. B., annorum quinquaginta trium propter ulcus phagadaenicum amputationem cruris sinistri die 12. Octobris anni 1837 subiit; tres arteriae ligatae. Die 4. soluta deligatione prima partim reunio facta. Die 20. ceciderant ligaturae. Die 28. in parte interna cruris amputati furunculus amplus; febris hektica, Meteorismus cum deliriis et sopore, sicco trunco die 3. Novembris acceleravere mortem.

Historia LVI.

P. W., annorum quadraginta sex, linguae et auditus impotens, ob utriusque pedis ad dorsum ex frigore gangraena ortam secundum Chopart utriusque cruris amputationi subjectus est die 1. Martii anni 1838; duae in dextro, quatuor in sinistro pede arteriae ligatae. Non magni patientis inter operationem dolores: post paucas dies febris, die 12. mors.

Historia LVII.

N. H., annorum sexaginta sex, potator libidinibus deditus propter pedes frigore adstrictos et post sex demum heb-

domades sphacelo correptos ad auxilium hospitii confugit; die introitus, 27. Martio anni 1838 pes dexter remotus. Patientis magnae torpiditatis hominis adpetitus laudabilis; diarrhoea rara. Die 9. Aprilis amputatio utriusque pedis cum uno lobo facta. In pede dextro tres, in sinistro quatuor ligatae arteriae. Die 17. soluta deligatione prima lobus bene adhaesiverat; sed febris continua remittens et diarrhoea frequens patientem die 8. Maji consumsere.

In sectione apparuit anhaemia, induratio incipiens pancreatis et pylori, emollities membranarum mucosarum; glandulae Peyerianae ampliatae.

Historia LVIII.

St. W., anus annorum quinquaginta octo decrepita, arthriticam ob immensas pedis dextri cariem, quamquam nulla ad erat febris, sedata diuturna diarrhoea die 15. Julii anni 1838 amputationi cruris lobulari subjicienda erat; tres arteriae ligatae. Die 22., soluta deligatione prima vulneris quidem adspectus laetus, sed magni patientis dolores. Die 29. Julii quinties invasit diarrhoea, continens per sex dies. Die 7. Augusti omnes ceciderant ligaturae. Vulnus praeter exiguam gangraena deletam lobi partem praebebat spem cicatrisationis, ad diem 22. Septembris perfectae, quo die patiens ex hospitio descessit.

Historia LIX.

S. E. Pf., anus annorum 60 ex causa traumatica per annum carie astragali et calcanei affecta, ceterum bona valetudine die 9. Augusti anni 1838 amputationem lobularem subiit; tres ligaturae factae. Die 14. ascarides ex deligatione innumeri proreperunt: soluta deligatione lobus, excepta parva parte, bene adhaesiverat; die 3. Septembris cecidere ligaturae; cicatrisatione perfecta per mensem patiens fulcrum adhibuit.

Historia LX.

B. S. E., annorum triginta novem cum febri hektica et carie articuli pedis dextri ex carcere in hospitium delata est, ubi amputatio lobularis cruris die 9. Augusti anni 1838 facta; quinque arteriae ligatae. Sub vesperam pulsus frequens, durus: nitrum ordinatum. Die 12. Augusti multi ascarides proreperunt: die 14. et 15. post meridiem impetus frigoris; Chininum sulphuricum cum opio ordinatum. Soluta die 18. prima deligatione ceciderant ligaturae, vulnere benigno. Ob frigus die 19. per horam rediens Chininum non intermissum; die 20. status melior; truncus recens. Die 23. strepitus dentium patientis, quae interrogata, num frigeret, negavit. Hora vesperae octava demens facta, versis oculis. Pulsus vix percipiendus; hora decima iterum conscia querebatur miseriam, quam impetu nervoso die septimo matutino rediente mors finiit.

Historia LXI.

S. E. M.. annorum 18, operarius, ob cariem metatarsi sinistri ex inflammatione neglecta die 10. Decembris anni 1838 in hospitium receptus amputationi secundum Chapart se subjecit. Soluta deligatione prima die 19. vulnus aptatum ad diem 13. Martii sanationem permisit.

Ex casibus his LXI hoc statuere licet: Numerus virorum amputatorum ad feminarum ut 5: 1, cujus causa apud amputationem facile perspicienda. Mors aeque constat in utroque genere; in singulis vero operationibus ita, ut septem, qui in humero, unus, ex octo, qui in antibrachio, tres, viginti duobns, qui in femore, decem, de viginti quatuor, qui in crure amputati sunt, septem mortui sint.

Iste mortuorum numerus non mirus reputanti, patientes plernmque malo sine medici veri auxilio et cuar eo progresso, ut operatio remedium anceps nulli remedio esset praeferenda, in hospitium ad operationem delatos esse; nec est ommittendum, operationcs extemporantes post fracturam complicatam minime concedere, prognosin laetam; nec non febrem intermittentem traumaticam ex octo jam annis in hospitio Julii perniciosam fuisse.

Primae amputationum causae fuere caries, et mala neglecta aut articulorum, aut parvorum manus vel carpi pedis ossium, rarius cavorum ossium, quorum casuum numerus 37; 5 operationes factae ob gangraenam, in 3 casibus ex frigore, in 2 ex complicatis fracturis ortam; fracturae erant 11, quae exposcerent operationem.

1 Carcinoma, 1 Osteosteatoma, 1 fungus medullaris, 1 tumor albus, 1 Necrosis, 1 Luxatio spontanea, 2 Arthrocacae. — Olecranon et genu erant saepissime affecta.

In 46 casibus sectio lobularis, in 12 sectio circularis, operatio secundum Chopart in casibus 2, exarticulatio humeri in casu uno facta.

In brachio plus minusve 3 1/2 ligaturae (2 — 5), in antibrachio 3 (2 — 5), in femore 3 1/2 (2 — 9), in crure 2 1/2 (2 — 5) factac sunt. Torsio bis facta in femore, semel in amputatione antibrachii nulla arteria ligata.

Medium ad sanandum brachium tempus erat dierum 5 — 7, antibrachium 50, femur et crus 48 — 49.